





1779, 3  
DE MANDATO S. C.

CONTRA

STATVM IMPERII

SVBDITIS IVRA PRISTINAE LIBERTATIS

SVB SPECIE REGALIVM

DETRAHENTEM

A CAMERA IMPERIALI

HAVD · DECERNENDO

---

SVB INITIVM LECTIONVM HYBERNARVM

A. N. M D C C L X X I X

COMMENTATVR

IOANNES FRIDERICVS HAEBERLIN

IVR. D. ET P. P. E.

---

HELMSTADII

LITERIS VIDVÆ B. P. D. SCHNORRII ACAD. TYPogr.

५६

§. I.  
Instituti ratio.

**Q**uantus sit in *Camera imperiali* abusus *Mandatorum S. C.*, non solum iam variis scriptis probaverunt viri eruditii (a), sed etiam quotidiana Augusti huius Tribunalis praxis docet. Cum enim *Processus Mandati S. C.* sit facilissimus, et auctori quam maxime favorabilis modus, ius suum in iudicio prosequendi: *Camere imperialis cuiusorum Patroni* allaborare solent, ut actionem coram summo hocce Iudicio ventilandam, ad unum vel alterum quatuor *Mandatorum S. C.* casuum, qualificant. Quae vero cum ita sint, *Camaram imperialem* in decernendis *Mandatis S. C.* non satis cautam esse posse, quisque iurisprudentiae Cameralis peritus fatebitur. At enim vero ii, quibus contigit, summum hocce Tribunal adire, litesque paulo penitus cognoscere quae ibi ventilantur, adserere non erubescunt, quod quamvis sagacitatem aequae ac in omni iuris parte peritiam perillarium huius Archidicasterii Assessorum laudent, ramen quandoque in causis quibusdam *Mandata S. C.* dari soleant, quae vero talia *Mandata* non admittunt, si rem secundum rigorem legum imperii metiamur. Ne id temere dixisse videar, e re mea erit, id quodam exemplo confirmare. Nimirum anno huius saeculi 46 decretum erat a Camera imperiali, ad instantiam *Pagi Magistrorum Communitatis Spadenis*, contra *Camaram rationariam Leodiensem et Conducentem la Tour*, praeviis litteris in et contra informatoriis, *Mandatum* de non turbando in possessione hauriendo et vendendi aquas Spadenses modo hastenus visita.

A 2

to,

(a) Insofar omnium evolvi potest *Henr. Coecii* diss. de abusu mandatorum S. C.

**IV**

to, nec via facti sed iuris procedendi *S. C.* Si quod sen-  
tio dicere licet, tantum abest, ut haec sententia mihi arri-  
deat, vt potius rationes, puto, non contemnendae ani-  
mo insideant, quae me movent, vt credam, *Mandatum S. C.*  
in dicti causa dari non potuisse. Meum igitur esse opini-  
or, si meditationem, cui tu benevole lector consulas,  
tecum communicem, de *Mandato S. C.* contra Statum Im-  
perii, subditis iura pristinae libertatis sub specie regalium  
detrahentem, a *Camera Imp.* haud decernendo. Ut vero  
in proponendo argumento meo eo meliori ordine proce-  
dam, quaedam de regalibus praemittam, dein vero an et  
quomodo a Subditis acquiri possint, et denique quid, si  
ad instantiam Subditorum de regalium possessione lis coram  
*Camera Imp.* movetur, decernendum sit, disquiram.

**§. II.**

*Quid sint regalia et quomodo dividantur demonstratur.*

Omnium vero primum inquirendum erit, quid sub  
nomine regalium veniat. Si *sIXTINVM* (b) si alios iuris  
et publici, et privati doctores consulas: deprehendes, eos  
omnes in eo convenire, vt regalia describant, quod sint,  
iura, illi qui Superiorem non recognoscit, vel cui, con-  
cessione aut praescriptione, consuetudine quae sita sunt,  
ad salutem et decus reipublicae tuendum, competentia.  
Quam definitionem et vel ea propter ratam habeo mihi que  
acceptam, quod altera laudatae definitionis pars, status im-  
perii nostri, qui Caesarem tamquam Superiorem suum a-  
gnoscunt, et quorum regalia, maxima ex parte ex iure non  
scripto et privilegiis Caesareis deducenda sunt, potissi-  
mum concernit. Haec vero iura iterum, vti cuicunque iu-  
rium non plane imperito constat, ad modum inter se dif-  
ferunt. Alia enim eius sunt indolis, vt non nisi a summo  
in republica Imperante possideri ac exerceri queant. Haec  
essentialia, immo quandoque maiestatica iura, eapropter  
vocare, mos est, quoniam ipsum regimen reipublicae et  
digni-

(b) de regalibus L. I. C. I. no. 14.

dignitatem Imperantis concernunt. Alia vero, licet sua natura quidem a subditis possideri possint, regulariter tamen, Principi ad sustentationem suam et onera reipublicae ferenda, sunt assignata, et haec quia redditus fisci ex iis augentur, et iura fisci vocantur, plerumque vero regalium accidentalium denominatione veniunt. Cum regalia essentialia sive maiestatica, vti ius circa sacra, legum ferendarum, belli et pacis aliaque, iam sua natura, a nemine quam a summo in republica Imperante, possideri ac exerceri possunt, de iis Principi nullam litem a subditis moveri posse, iam per se patet. Quum vero id in regalibus accidentalibus secus sit, et de eorum possessione ac exercitio Principi facile lis moveri possit, de illis prout instituti ratio suadet, iam paulo uberior mihi agendum erit.

### §. III.

*Generales quadam de regalibus accidentalibus regulae praemittuntur, et in specie disquiritur, an generatim in Germania determinari possit, quibus in rebus et iuribus regalia curssiant et quantum sit eorum numerus.*

Vt salus reipublicae communis, quantum fieri potest, promoveatur, et Princeps seu summus in republica Imperans, suo defungi valeat officio, sumitus illi haud modicos esse faciendos, res ipsa loquitur. De redditibus ergo certis, seu proventibus, Principi provisum sit, necesse est. In quibusnam vero rebus, redditus illi Principi ad sustentandam dignitatem constituendi, quae hunc in finem iura, quae res in specie atque individuo in reipublicae proprietatem transcribendae, ex ipsa supremae potestatis essentia determinata non sunt, sed admodum in eo mores ac iura territoriorum Germaniae variant. In quibusdam enim Imperii nostri provinciis, iura nonnulla regalibus adnumerantur, quae alibi in proprietate privatorum sunt constituta, sic v. c. in Bavariae ducatu ius coquendi cerevisiam albam regalibus accenseretur, alibi ius

## VI

vini adiuti inter regalia refertur, quae iura vero in quamplurimis Germaniae provinciis, cuicunque privato, ex hoc vitae genere victum quaerenti, competit. Eiusmodi vero regalia vnius territorii ad aliud applicare, et specioso hocce praetextu, iura longe quae sita subditorum violare, omnino iniquum esse puto. Cum tamen inter sit civitatis, ne Principis dignitas contemni pateat, vulgus vero eandem aestimat ex iis, quae in oculos incurruunt, praeterea etiam sustentatio militis perpetui aliarumque in reipublicae commodum ac utilitatem spectantium impensarum, aucto rerum pretio, quotidie crescant, numerum regalium nonnumquam augere, saepius ipsa salus publica suadet. Ne vero in exigendis novis regalibus, Imperantes limites iusti et aequi transgrediantur, salus publica in constitutione novorum regalium sequentes a Principe bono ac iusto exigit regulas: 1) ut potissimum illae tantum res in proprietatem Principis transcribantur, quibus facilius carere possunt subditi (c); 2) ut vel civium aut ordinum eos representantium voluntarius accedat consensus, vel si deficit, status publici conservatio, et congrua summo reipublicae Capiti sustentatio, aliaeve ex utilitate communis de promiae rationes id suadent (d), quibus fervatis querelas subditorum desuper morae omnino inanes atque inutiles redduntur.

## §. IV.

*Argumenti prioris continuatio:*

Haec vero quae spho antecedenti dixi, de novorum tantummodo regalium in eiusmodi rebus ac iuribus constitutione, quorum proprietas et usus haec tenus subditis de iure competebat, intelligendum esse puto. Longe vero aliter sentio de regalibus propriis sic dictis, seu de eius.

(c) *Grotius de iure belli ac pacis L. II. c. 8 §. 5 et 6.*

(d) *Dahm de iusto et iniusto regalium usu c. I § 7. Thomasius de regalibus sive Principiis Germaniae circa acquisitionem principue C. II § 1.*

elusmodi iuribus, quae ex iuris publici hodierni principiis, vobis Principi competunt. Ea nempe, licet per longum tempus a subditis sunt possessa, semper a Principe tamquam sibi propria vindicari posse credo, nisi Lex specialis, vel conventio, vel praescriptio immemorialis illi obster. (e) Huc vero meo iudicio in primis refero, omnes res humani iuris publici, quae ideo a Romanis ita vocabantur, quia earum proprietas erat penes rem publicam, usus vero singulis e republica competebat. Haec enim iura hodie in quoque statu monarchico plerumque sunt in proprietate et usu Principum nostrorum constitutae (f). Quod si in statibus monarchicis iuris est, etiam in territoriis statuum imperii nostri iustum esse debet, cum illorum superioritas territorialis, exceptis civitatibus imperialibus, nil aliud est, quam regnum monarchicum alii regimini monarchico subordinatum. Haec vero res, non solum iura et consuetudines Germaniae hodiernae, regalibus adnumerant, sed et antiquissimas iam iam temporibus Reges ac principes Germaniae sibi vindicaverunt, ita ut nunquam usus earum, ut in republica Romana, cuicunque ex populo pateret, sed non nisi illis quibus eum concessissent Principes, quid quod de iis praesertim rebus, quas adespotas vocamus, ex pluribus documentis probare, mihi non difficile esset, nisi res iam dudum inter omnes iurium ac historiae patriae non ignaros constaret (g). Iura vero et consuetudines Germaniae in hoc casu quam maxime cum aequitate naturali conspirare, ea quae ipso antecedenti, de regulis in constituendis novis regalibus observandis, duce Grotio artuli, extra ordinem dubitationis calculum ponunt. Illis enimvero rebus quas publicas vocatus, facilius carere possunt subditi quam aliis. §. V.

(e) L. B. de *Iuris de regalibus negligentia aut dolo officialium* haud praescribendis.

(f) *Leyser* sp. 25 m. 2. G. L. Boehmer de iure Principis circa loca et opera publica,

(g) *Hortius* de superioritate territoriali. § 45 - 48.

An Subterranea generatim, an vero tantum metalla, et quidem  
saltim nobiliora sint regalia, disquiritur.

Magna inter ICtos agitata est controversia, an saltim metalla, an vero cuiuscunque generis minerae, annumerandae sint regalibus. Alii saltim metalla nobiliora, alii cuiusvis generis metalla, aliud denique omnia quae sub terra abscondita sunt, regalibus accensuerunt, quibus et ego ob rationes modo adducendas adserior. Domino enim fundi si est privatus, non nisi superficies, quidquid vero sub terra latet, si detegitur Principi regulariter, nisi Lex, vel consuetudo cuiusdam territorii specialis, vel privilegium obsistat, competit. Hunc in modum testante GASSERO ICTO quandam HALENSI (h), pronunciavit facultas iuridica Halensis in causa Cameræ Magdeburgensis, contra Landgrarium Hassiae Homburgensem, terram albam in fundo suo inventam sibi vindicantem. Sunt quidem vti iam dixi, qui hac in re valde dissentient, et regale ius metallifodinarum, vnicce admetalla, et quidem nobiliora saltim restringunt, sed quantum illi a recto trahit aberrent, non solum consuetudines Germaniae universales, quid quod quotidiana docet experientia, sed et ipsae Leges imperii testantur (i). Omnes enim utilitates subterraneas, vti alia aedipota, iam ab antiquissimis inde temporibus, non privatis competuisse, sed inter regalia relatas esse, documenta et leges Germaniae antiquissimae extra omnia dubitationis calculum ponunt. Sic v. c. iam in *Charta divisionis inter Filios a Ludovico pio a 817 factae* (k) mentio fit metallifodinarum iuris. *Ius vero prov. Saxonum* (l), cum quo conspirat *ius prov. Suevicum* (m), expresse ita disponit; alle Schätze unter der Erden tiefer denn ein

(h) in diff. de memoria initii contra praescriptionem immemorialem.

(i) A. B. c. IX.

(k) ap. *Baluzium T. I. Cap. Reg. Franc. p. 375.*

(l) Lib. I. art. 35.

(m) Art. 218.

ein Pfug gebet, gehören zur Königlichen Gewalt: quae verba de mineralibus generatim intelligenda esse docet ZIEGLERVS (n). Ergo regalium classi iure optimo accensendae sunt et metalla nobilia, et aliae maioris pretii res effodiendae. Quantum vero aliae etiam minerae ratione vtilitatum inde percipientarum, ipsis auri argenteique fodinis sint praeferendae, ideoque re vera thesauri vocari merentur, exemplum terrae porcellaneae Saxonicae, optime comprobant. Priscis ergo temporibus omnes vtilitates subterraneae in Germania Regi soli erant propriae, CAROLVS IV vero Aureae Bullae sanctione non solum ius metallorum nobilium, sed omne ius minerarum, uti verba textus A. B. c. IX. clare testantur, hucusque Imperatori soli, ut ajunt, proprium, Electoribus quoque adiudicavit. Dissentit quidem de LUDWIG (o), et Electoribus uti aliis Imperii Statibus longe ante Auream Bullam conditam, ius minerarum competuisse, optime comprobat. Sed quid hoc ad me, nil enim nobis interest, an ius illud ante Auream Bullam Imperatoribus an vero Statibus imperii competierit, si de eo saltim constat, quod hocce ius nunquam competierit privatis, sed iam ab antiquissimis retro saeculis fuerit regale. Nostris vero temporibus, omnia subterranea quibuscumque Statibus imperii vi superioritatis territorialis competere, unanimis fere affirmat iuris publici Doctorum sententia (p).

### §. VI.

*Jus circa fontes salutares et thermas regalibus esse annumerandum, ex iam dictis hypo antecedenti, sequitur.*

Si omnes vtilitates subterraneae non nisi Domino ter  
B rito,

(n) de iure maiestatis C. XIX. § 16.

(o) in der Erläuterung der G. B. c. 9. p. 806. seqq.

(p) Lynker de iure minerarum. Hertius de regali mineraliuna mediorum et infimorum iure. Goekel de regali fodendi nitrum. Hoffmann de regali marmoris iure. Fritsch de regali salinas ruin iure.

## X.

ritoriali competunt, omnino etiam fontes et thermas salutares Principi competere debere, res ipsa loquitur (q). Nonne enim fontes medicati antequam deteguntur sub terra latent, nonne partibus mineralibus sunt impraeognati? Sed ut ad eorum forsitan argumenta, qui regalia strietissimae esse interpretationis, ideoque etiam subterraneas illas utilitates, de quibus L. vnika feudorum: quae sint regalia et A. B. tit. IX. expresse nihil disposuerunt, regalibus adnumerati nolunt, respondeant, ex ipsa natura fontium salutarium, illos sub A. B. sanctione comprehendi demonstrabo. *Aurea Bulla* l. c. enim claris verbis cuiuscunq; generis metalla ac etiam salis mineras, in proprietatem Principum Electorum transcribit. Quis vero nescit aquas et thermas salutares partibus metalli, sc. ferri, vitrioli, sulphuris, ac etiam salis acidij esse satiatas. Praeterea vero fontes ac thermiae salutares, non vilioribus, sed certe nobilioribus sunt annumerandae utilitatibus subterraneis. Cum enim tanta illis sit virtus, ut hominibus amissam recuperare queant valetudinem, certe maius illis inest pretium, quam ditissimis auri argenteique fodiinis. Ego quidem non ignoro esse permultos, qui curam tantummodo thermarum solenniuti, ideoque comoda tantum ex balneis constitutis percipienda, non pretium ex ipsa aqua scaturiente captandum, Principi adscribunt (r). Ego vero vnum cum altero esse connexum, non sine villa ratione credo, qui enim omne onus cuiusdam rei ferre debet, illi etiam omnes exinde provenientes utilitates sunt captandae. Praeterea vero inter regulas iusti et aequi distinguendum esse puto. Aequum omnino esse dubito, si Princeps lucrum ex ipsa aqua scaturiente captare studet, quam Deus non divitum ad se ulterius ditescendum, sed pau-

(q) Ludwig's Erläuterung der G. B. P. I. Tit. IX. §. 1. *Iargow* Einleitung zu der Lehre von der Religion L. II. C. III. §. 10. *Stryk de iure principis subterraneo.*

(r) de Ludolph Symphorema consult, et decit. formf. P. I. n. 22. *Stryk* l. c. C. IV. §. 10.

pauperum gratia excitavit. Nonne vero hae regulae intelli et aequi ab omnibus Dominis, quorum in territoriis aquae salutares scaturiunt, servantur. Vbicunque enim locorum, fontes salutares inveniuntur, ipsa aqua scaturiens, nisi omnia me fallunt, incolis nonsolum illius loci, sed et quibuscumque recuperandae valerudinis gratia ad hunc locum peregrinantibus, gratis porrigitur. Vbi ergo Domino ipsi nullae sunt impensa, ibi nullum etiam ab aliis, aqua salutari videntibus, pretium exigitur. Quis quoefo vero Principi impensas pro emtione, explectione et obsignatione lagenarum, quae ad exterios mittuntur, et alios sumtus hunc in finem faciendo resarcire debet? Modicum ergo pretium ab exteris, quibus aqua salutaris mittitur, exigere, non solum iustum, sed omnino etiam aequum est. Quid si vero ipsi Principes iniquum putant, aquam prope fontem salutarem, in loco ipso ubi oritur, vendere; multo magis certe iniustum est, si subditi, uti casu nostro re vera est, sese, aquam pro lubitu vendendo, ditescere vellent. Cum porius reipublicae omnino intersit, ut tanta civium licentia effrenata supprimatur; non solum Principi licitum esse debet, sed et illius, tamquam summi salutis publicae conservatoris ac moderatoris, tantum abusum tollere, et turbas subditorum ordinationibus politicis coercere, officii ratio exigit.

### §. VII.

*Dissentientium argumenta, qui regalia odiosa ideoque refrigendae esse docent, refutantur.*

Iniquus forsitan nonnullis, et ipsis viris longe celerimis, omnia adespota et subterranea Principi vindicans, ideoque regalia nimium extendens, videar. Sed uti opinionem meam in legibus ac consuetudinibus Imperii esse fundatam, ita etiam illam aequitati quam maxime convenire, probare, mihi haud difficile erit. Iam supra (§III) demonstravi, Principi, ad salutem reipublicae communem promovendam, sumtus haud modicos esse faciendo.

B 2.

Quo

XII

Quo faciliori ergo modo impensa illae, ad reipublicas  
commodum promovendum necessariae, sine insigni civi-  
um detimento exigi possunt, eo maiorem certe inde  
quaestum facit Respublica. Nonne enim aequius est et  
melius, commodum quoddam subterraneum in fundo pri-  
vato detectum Principi vindicare, quam enormissimis ca-  
pitum exactiōibus, aliisque oneribus publicis subditos  
gravare pauperiores. Quis quoēfō inficias ibit, salutem  
publicam esse praeferendam saluti singulorum? Nonne ve-  
ro salus publica communis plus promovetur, si redditus  
utilitatum subterranearum, in Principis aerarium proflu-  
unt, quam si hoc modo, privati cuiusdam, auri abundan-  
tia seducti, quae paternum solum ac civium industria pro-  
ducit, contemnens, nec aliter quam ambarum Indiarum  
cupediis est satiāndus, redditus augentur. Accedit quod  
ipse iuris civilis regulae interpretationem restrictivam in  
regalibus subterraneis damnent. Volunt nempe eae, ut,  
cum ubiunque similis sive eadem legis ratio, ibi etiam  
similis sive eadem legis dispositio obtineat. Ratio vero  
cur leges antea memoratae, puta, *L. unica feudorum* et  
*A. B. lit. IX*, quaedam subterranea nominetens regali-  
bus adnumerant, nulla alia est, quam quia hac ratione  
aerarium Principis augeatur, ac cives nullum inde senti-  
ant damnum laesione inve. Putarem igitur, quod ob di-  
ctam rationem et aliae res nondum detectae, quarum pro-  
prietati facilius carere possunt subditi, et quarum adem-  
tio civibus non est onerosa, regalibus accenſere possim.

§. VIII.

*An et quomodo subditi, contra Principem regalia possint ac-  
quisiri, adhiberi, requiri, disquiri?*

Regalia essentialia sive iura maiestatica nullo plane  
modo, accidentalia vero nonnisi speciali *privilegio vel praescriptione* saltim *immemorali* a subditis acquiri posse, com-  
munis fert, cui et ego subscribo, doctorum sententia. Quid  
nobis

nobis sub *praescriptione immemoriali* subintelligendum sit, determinare meum non est, cum iam doctissimi viri in explicanda huius vocis denominatione, multum studium et operam collocarunt (s). Quae vero de iis tantummodo rebus ac iuribus, quae vti in Principis, ita etiam in cuiuscunq; privati dominio et proprietate constituta esse possunt, intelligenda esse puto. Quodsi vero res quedam iam sua natura ita fit comparata, et salus publica suadeat, vt nonnisi in pleno existat Principis dominio, Principem illam quoconque modo ac tempore nullo obstante, privilegio vel *praescriptione*, a subditis vindicare posse, haud dubito. Curam thermarum solennium, cum qua, vri supra § VI demonstravi, connexum est, ius vendendi exteris aquas salutares, esse obiectum politiae, nemo sane in dubium vocabit. Pertinent enim istiusmodi negotia, ad territorii administrationem et utilitatem promovendam, et ad augenda commercia. Cui vero alii quam solo Principi competit summa in republica caesarum politicarum cura. Quam ob rationem, curam thermarum nulla *praescriptione* contra territorii Dominum acquirei posse, arbitror. De hac vero cara thermarum publicarum, casu sub initium huius meditationis memorato, Principi nulla lis movebatur, sed de venditione tantum aquarum. Cum vero ius vendendi aquas salutares a cura thermarum dependeat (§. VI.), et quum praeterea, casu nostro in specie, nulla ea propter fontium cogitari possit *praescriptio immemorialis*, qua subditi se tueri possent, quia ipsum augustum Camerae Imperialis Tribunal, a. adhuc 1714., in Processu quodam, *Sauveur contra Amore*, regale thermarum Spadensium ius Episcopi Leodiensis agnovit (t), satis abunde elucet, sententiam meam vltiori adhuc probatione non indigere.

## §. IX.

(s) *Menkes de praescript. immemor. hominum licet memoria deficiente per docum. elidenda, S. P. Gaffer de memoria initii contra praescript. immemorialem. G. L. Boehmeri Princ. Iur. Can. §. 640.*

(t) *de Ludolph l. c.*

## XVI.

## §. IX.

*An lites super regalia inter Principem et Subditos ortae, ad Cameram imp. snt devolubiles, nec ne, disquiritur.*

Aut fallor, aut ex dictis de regalibus in genere et de regali thermarum iure in specie regulis, illicet deduci potest, quid decernendum sit, si subditi ob regalia recens introducta, querelas coram summis Imperii Tribunalibus movent. Regalium novorum constitutio ad causas politiae in sensu generaliori, et, ut cum celeberrimo quodam Auctore (u) loquar, ad causas regiminis in specie pertinet. Veniunt autem sub nomine causarum politiae in sensu generaliori, omnia, quae administrationem status internam, in genere, salutem et commoditatem publicam spectant (v). Constitutionem regalium vero, ecquis negaret, ad administrationem reipublicae spectare, aequo ac salutem publicam promovere. Sequitur ergo, regalium constitutionem ad causas politiae pertinere. *Causas vero politiae ad summa Imperii Tribunalia non esse devolubiles*, neminem certe Iurisprudentiae Cameralis non plane ignarus fugit. Unicus saltim casus, quo summis Imperii Dicasteriis in causis administrationem sive regimen status cuiusdam internum concernentibus, iurisdictio competit, est, si subditi ideo contra Dominum territorii querelam movent, quod in exercendis iuribus superioritatis territorialis, vel leges imperii, vel constitutionem provinciae speciale transgressus sit (w). Certe vero dici nequit, Principem leges imperii, aut constitutiones territorii sui transgressum esse, si novum in re quadam constituit regale, quo unus vel alter subditorum iure suo purativo aliquid detrahi credit. Sequitur ergo lites circa constitutionem novorum regalium, inter Dominum et Subditos ortas, in regula ad Cameram Imperii non esse devolubiles. Si vero lites ob

(u) Vermehrte Beiträge zur Verbesserung des Justizwesens am Kammergericht Hter Th. ztes Stück.

(v) v. *Iusti Grundsätze der Polizeiwissenschaft*. Einleit. §. 2. p. 4.

(w) Vermehrte Beiträge 1. c.

ob novorum regalum constitutionem submetat ad Cameram Imp. devolvi nequeunt; sequitur, et in nostro casu, summi huius tribunalis iurisdictionem non esse fundatain, nisi causa, ad casum modo exceptum sit qualificata. Hoc vero non esse, sed e contra praeter iam adductas, speciales etiam quasdam accedere rationes, cur iurisdictioni Cameræ Imperialis in causa substrata, mea opinione locus esse non possit, modo dicta breviter repetendo, et nova quaedam addendo, iam demonstrabo. Primo enim ius fontium ac thermarum salutarium sine dubio regalibus est annumerandum, ut lites desuper Principi obtinetas, credam insanes, (§. VI et VIII). Cura insuper thermarum solennium, cum qua procul dubio, connexum est ius vendendi aquas, est obiectum politiae (§ VI). Accedit, quod ipsa Cameræ imperialis a. 1714 in Processu Seveur contra Amorem duram thermarum et Fontium Spadenfium pro regali Episcopi Leodiensis iure agnovit, ideoque peritos contra Episcopum apellationis processus denegavit. Denique Cameræ rationaria Leodiensis, singulari quodam gaudet privilegio de non appellando, ab Imperatore Rudolpho II a. 1605 impetrato, et Cameræ imperiali, a. 1607 insinuato, vi cuius modo dicto Dicasterio, iurisdictione in quibusunque disceptationibus, super Regalia, domania et iura Fisci Principis orta, licet inter Principeum ipsum et Subditos lis intercederet, non modo confirmatur, sed etiam omnis ad Iudicium imperiale appellatio removetur, eo quod gravatis vnicum relinquat remedium revisionis (x). Cum vero mihi de regalibus generatim in praesenti agendum sit, et illa vrut causæ politiae spectata, nonnnquam etiam, si nempe naturam causarum iustitiae induunt, ad summa Imperii Tribunalia possunt devolvi, et praeципue cum in controversiis circa constituta nova regalia submotis, si de meo et tuo Subditorum disceptatur, iurisdictione Cameræ imperii omnino est fundata, quid ergo hoc causu ad  
inc.

(x) de Ludolf Sympb. consl ac decisi. for. P. I. n. 22.

XVI

instantiam Subditorum ab augusto hocce Tribunali deceri  
ni possit, iam mihi erit disquirendum.

§. X.

*Regulae de Mandatis S. C., quibus in causis q. Camera imp.  
decerni possint, tradantur.*

Vt ad quaestionem propositam, quid ad instantiam Subditorum contra Principem, iura pristinae libertatis, sub specie regalium illis auferentein, a Camera imperiali sit decernendum, respondeam, generalia quaedam de Mandatis S. C. mihi erunt praesmittenda. Irregularis omnino et vti viderur, quam maxime iniquus est modus procedendi, quando confestim ad instantiam actoris, reus inauditus condemnatur, nec vlla illi iustificatio sive excusatio facti compissi permititur, vti hoc tamen sit in processu Mandati S. C. Ipsi Ordinationis Cameralis auctores, veritatem huius asserti probe intellexisse videntur, ideoque regulam, Mandata a Camera, non aliter quam a diecta clausula iustificatoria esse decernenda, constituerunt, qua praemissa deum exceptiones illae quatuor notissimae, ad quas Mandata S. C. restringuntur, adduntur (y). Ego quidem non ignoro, esse, quam plurimos iurisprudentiae cameralis Doctores, qui exceptionem de Mandatis S. C. non ad quatuor saltim casus expressos, restrictam esse, sed pluribus adhuc casibus nominetenus non expressis, decernenda esse Mandata S. C. docent, quidquod argumento supra citati Tit. 23. P. II. OC. verbis: dann in solchen und sonst andern Fällen, et R. I. de a. 5194 §. 79. verbis, und dieweil nicht möglich alle Füll, comprobare student. Cum vero nullius sit iurare in verba Magistrī, non video, quare nec ego hac de re aliter sentire possim. Rationes ergo meas, quibus allicitus communem illam opinionem relinquo, in medium proferre, iam meum erit. Locum illum modo citatum Ordinationis Cameralis vel plane nihil, vel regulae de Mandatis generatim paullo antea datae, in totum con-

tra-

(y) O.C.P. II. tit. 23. C.O.C. P. II. tit. 25.

traria docere, alterum vero locum *Recessus imperii* de a-  
1594, longe aliter, quam vii nonnulli iuris Cameralis Scri-  
ptores illum haec tenus explicarunt, interpretandum esse,  
si rem paullo penitus perscrutamur, mox apparebit. Ver-  
ba O. C., de quibus in praesenti disceptatur, haec sunt:  
*in diesen und sonst andern Fällen, in denen vermög der Recht  
a praecepto ohne vorhergehende Erkenntniß angefangen werden  
mag, sollen und mögen --- Mandata ohne Iustificatori Clau-  
sal erkant werden.* Quibusunque vero *Mandatis* tam C.  
quam S. C. locis esse nesciunt, nisi in causis ad praeceptum  
qualificatis. (z) Initio autem Tit. 23 P. II. O. C. regula sta-  
bilitur, in causis ad *Mandatum* qualificatis, *Mandata* non  
aliter, quam adiecta clausula *insticatoria* esse decernenda,  
exceptis tantum quatuor illis casibus generalibus, verbis:  
*Es wäre dann; expressis.* Quae ergo adduntur verba, *in  
diesen und sonst andern Fällen*, ea omitti debuissent. Sive  
enim haec verba adiecta, explices de *nudo praecepto*, sive  
de *mandatis* S. C.: utraque explicatio inanis est. Prior  
enim contraria est regulae antea datae; altera autem, qua  
scilicet sub legis nostrae verbo, *a praecepto praeceptum*  
S. C. intelligi vis, ea propter deserenda est, quia verba:  
*praeceptum et mandatum* sunt synonima. Requirunt  
praeterea iurisprudentiae cameralis Doctores, si hunc lo-  
cum explicare student, ad decernenda *Mandata* S. C. ca-  
sus quosdam, quatuor casibus antea datis similes (a), quo-  
modo vero alii casus, casibus illis quatuor generalibus,  
similes esse possint, neque ego intelligo, neque revera-  
ab alio quodam iurium perito explicari posse, vix credo.  
Ut vero quisvis hoc intelligat, id exemplo illustrare con-  
tendam. Sic v. c. factum quoddam vel est iustificabile,  
vel non est. Tertium non datur. Ergo factum, factō  
nullo modo iustificabili simile, in abstracto mihi men-  
te concipere non possum. *Ordinatio enim Cameralis qua-*  
tuor  
C

(z) *Tafinger Institutiones iurispr. cam. §. 586.*

(a) *Tafinger l. c. §. 597.*

## XVIII

tuor enarrat casus generales, a quibus abstrahendo nullus  
 desuper alias, vni alterive horum casuum similis cogitari  
 potest. Aliud vero esset, si tantum, exempli gratia, casus qui-  
 dam speciales enarrati essent, praeter quos mille adhuc alii  
 casus similes ad *Mandatum S. C.* qualificati, existere possent;  
 et de eiusmodi casibus specialibus, ni omnia me fallunt, in-  
 telligenda sunt verba *Rec. Imp. de a. 1594.*, §. 79: und dieweil  
 nicht möglich alle Fälle, darauf *Mandata S. C.* erkant werden  
 mögen, unterschiedlich zu erzählen. Omnino enim non omnes  
 casus singulares ad *Mandata S. C.* qualificati specifici enarra-  
 ri possunt, quilibet vero illorum casuum singularium, ut sub  
 uno alterove casuum quatuor generalium comprehenda-  
 tur, necesse est. Ipsi etiam Imperii nostri Legumlatores  
 perspexisse videntur obscuritatem huius loci *Ordinationis*  
*cameralis*; qui, si enodatur, vti demonstravi, vel regulam de  
 Mandatis paullo antea traditam tollit, vel qui nihil dicit,  
 vel quo denique cum cognitionem *Mandatorum S. C.* ar-  
 bitrio iudicis relinquit, admodum abuti potest. Ne di-  
 cas, me Legumlatoribus falsam mentem adsingere, de-  
 regam rationem, qua ductus credam, ipsos voluisse restrin-  
 gere locum hunc obscuriorem *Ordinationis cameralis*.  
 Dispositum enim legimus tam in *R. I. N.* §. 79: Wie dann  
 auch die *Mandata S. C.* allein in den vier Fällen eet. erken-  
 net, und außer denselben nicht zugelassen, quam in *Rec. Visit.*  
 de a. 1713. § 9: Wird dem C. G. anbefohlen solches alles künf-  
 tigbin zu verbüten, den jüngern R. A. bierunter allerdings  
 zu beobachten, insonderheit aber wieder den wahren Ver-  
 stand der C. G. O. die in solcher part. 2, tit. 23. specificite  
 vier Fälle, auf nicht genügsam qualificirte, oder der Ge-  
 bühr nach nicht beschreibene narrata in keine Weise zu erfre-  
 eken. En Legumlatores restringentes ordinationem ca-  
 meralem ad IV modo casus. Sed et aliud denique pro tu-  
 enda mea sententia, mihi suppeditat argumentum ipsa *Ca-*  
*merae imperialis* praxis quotidiana. Si enim in aliis quo-  
 que, quam quatuor illis vulgaribus in *Ordinatione Camerali*

k. c.

I. c. specificatis casibus, decerni possint *Mandata S. C.*, non intelligo, quare causarum Patroni semper de eo sint solliciti, vt actionem coram hoc *augusto Tribunali* ventilandam, ad vnum alterumve quatuor illorum casuum qualificent, quod tamen ita esse, quotidiana experientia docet.

## §. XI.

*Argumenta dissentientium refutantur.*

Ego vero non ignoro esse permittos jurisprudentiae Cameralis Doctores, qui hocce additamentum, *P. II. tit. 23. O. C. de Constitutionibus specialibus*, et casibus in legibus imperii singulariter expresis praecipue intelligendum, ideoque non inutili, nec superfluum esse hunc locum, existimant. Sed et omnes illas Constitutiones speciales, si *Mandatum S. C.* de iis decerni potest, semper ad vnum alterumve quatuor illorum casuum generalium esse qualificatas, mihi non difficile esset demonstrandum, si limites brevi tractationi positi, hoc permitterent. Sic v. c. *Constitutiones de arrestis et de pignorationibus, ad tertium* sunt qualificatae casum. Sunt enim eiusmodi in his Constitutionibus prohibitae pignorations et arresta, facta contra utilitatem reipublicae commissa, vt hoc non solum iam huius Constitutionis natura, sed et ipsa verba *C. O. C. (b)* probant. Casus vero alii in *C. O. C. (c)* specificati, ad quartum semper qualificari possunt casum. Si enim novum opus iam perfectum, nunciatio amplius non attenditur (*d*), ergo periculum est in mora. Similis adest ratio in debito re sub clausulis executivis ad solvendum fese obligato, quo casu praeterea, ipsa verba contractus dant normam processui. Quare nec ego b. DE LVDOLF (*e*), et qui cum secutus est ILL. MOSERO (*f*), adsentior, jurisprudentiae came-

C 2

ralis

(b) *P. II. tit. 23. pr.*(c) *P. II. tit. 25. §. 5 et 14.*(d) *L. I. § 1. ff. de novi operis nunciatione.*(e) in *Comment. System. de iure Cam.* p. 121.(f) in *R. H. R. Proces P. I.* p. 58.

## XX

ralis ignaros causarum Patronos iudicantes, qui nullis aliis, quam quatuor in *O.C.l.c.* denominatis casibus, locum habere posse *Mandata S.C.* existimant, quamvis et ipse causarum Patrono consultius esse arbitror, actionem suam v. c. in ipsa Constitutione de pignorationibus fundare, et non in eo, quod factum sit contra vtilitatem publicam commissum. Toto animo contra b. L. B. de Cramer subscribo, qui, vt nuper fama ad me pervenit, in confiendo novo *Concepto Ord. Cum. passum illum saepius citatum, tamquam superfluum omittendum esse voluit.*

## §. XII.

*Regulae de Mandatis S.C. datae, ad casum subfratrum applicantur.*

Si Mandatum S.C. nullis aliis, quam quatuor illis casibus in *Ordinatione camerale l.c.* specificatis, a Camera imperiali potest decernari, sequitur illud etiam contra Principem nova regalia sibi constituentem, ad instantiam subditorum nullo modo esse decernendum. Licet enim iam ex narratis Supplicae appareat, vel aliunde constet, ius subditorum esse certe ac indubium, ideoque factum Principis, hoc ius subditis auferentis, iniustum; attamen de eo, quod factum etiam nullo modo iustificari possit, *Iudicium Camerale*, antequam reus exceptiones suas in iudicio exhibuerit, certius esse nequit. Factum enim iniustum, et factum nullo modo iustificabile, admodum inter se differunt, et ego quidem quocunque factum iniustum, ad quod quis iusta ex causa incitat, si non iustificari, ad minimum tamen excusari posse, credo; cuius asserti veritatem, ipsa distinctio, quam *Ordinatio camerale* inter *Mandata C. et S.C.* facit, quodammodo demonstrare videatur. Ad decernendum enim *Mandatum C.C.* requiritur, ius impetrantis certum, ideoque factum rei iniustum, ad *Mandatum S.C.* vero, non solum factum iniustum, sed quod etiam nullo modo possit iustificari: Differentia igitur adesse debet, inter factum iniustum et nullo modo iustificabile. In quantum vero illa consistat, iam dictum est. In casu autem sub-

fra-

strato praeterea pro Principe certat prae sumptio, ideoque subdito agenti incumbit probatio, quae tamen in processu *Mandati* a reo est ducenda. Ne dicam, quod et ideo *Mandata S.C.* contra Dominum ad instantiam subditorum non sint decernenda, quia *Mandatis S.C.*, Subditis adversus Dominos rebellandi occasio facile subministrari, istisque ad maiorem inobedientiam fiducia Mandatorum incitari possunt. Vnicus saltim casus quo et ego ad instantiam Subditorum contra Dominum territorii *Mandatum S.C.* decernendum esse credo, esset, si nimium in subditos saeviat Dominus, eosque ad operas insolitas vi compellat (g). Eiusmodi enim factum omnino est iniustificabile, et in detrimentum reipublicae committitur, vel ut brevius loquar, vnicum est factum Principis, quod me iudice, ad unum vel alterum, quatuor causum in *O.C.* expressorum, potest applicari et qualificari.

### §. XIII.

*Quid ergo loco Mandati S.C. decernendum sit, disquiritur,  
vbi tres sunt distinguendi casus.*

Ne vero vestigiis illorum insistam, qui, a quorum doctrina descendunt, vituperant, non vero horum opiniones emendatione adhibenda iuvant, meum erit, antequam huic translationi finem impono, breviter demonstrare, quid loco petiti *Mandati S.C.* ad instantiam Subditorum in nostro casu contra Dominum territorii sit decernendum. Loco eius, quod petum est a supplicante, saepius aliud quidpiam posse decernere *Camaram imperiale*, huius augusti *Tribunalis* praxis quotidiana docet. Quaeritur ergo, quid nostro casu, loco petiti *Mandati S.C.* a *Camera imperiali* sit decernendum? Ut ad hanc questionem respondeam, tres mihi sunt, distinguendi casus. *Vel* enim ius subditorum implorantium est certum et indubium, ideoque factum Principis, hocce ius, subditis auferentis, iniustum; *vel dubium est*, en Princeps plus juris habeat in re sibi vindicanda,

C 3

an

(g) Blum in Proc. Cam. tit. 34, no. 76.

## XXII

an vero subditii; vel denique ex litteris informatoriis palam sit,  
aut ex ipsis supplicae narratis iam elucet, nullum esse ius Sub-  
ditorum, ideoque petitum illorum locum habere non posse.

## §. XIV.

*Quid decernendum sit, si ius Subditorum certum, Principis ergo  
factum iniustum est, disquiritur.*

Priori casu si ius Subditorum est certum ac indubium,  
loco petiti Mandati S. C. Mandatum C. C. a Camera imperiali  
est decernendum. Ratio huius asserti, in ipsis legibus  
Imperii fundamentalibus, vti iam §. X. demonstratum est, latet.  
Si enim in quibusvis casibus ad praecemptum qualificatis,  
exceptis quatuor, illis in O. C. denominatis, non nisi Mandato  
C. C. sunt decernenda, sequitur etiam in nostro casu non nisi  
Mandato C. C. locum esse, nisi Camera imperialis iam ita cer-  
tior facta sit non solum de facti iniustitia, sed etiam de eo,  
quod factum nullo modo possit iustificari. Quomodo vero Ca-  
mera imperialis semper de eo, quod tale factum nullo modo  
possit iustificari, antequam reus exceptiones suas protulerit,  
certior esse possit, non intelligo, cum in litteris pro informa-  
tione nihil omnino proponi, admitti vel attendi debeat, praet-  
er solam, et unicam narrationem facti ipsius, nullae vero ex-  
ceptiones, nisi in continentur sint liquidae, a reo debeant pro-  
ferri, et omnes altioris indaginis, ab Augusto Cameræ Tri-  
bunali non attenduntur (h). Si ergo Princeps altioris indagi-  
nis quasdam habeat exceptiones, de iis ex litteris informato-  
riis constare nequit. Fingas v. gr., Principem, civitati cui-  
dam ius braxandi, ab immemoriali tempore quaesitum, sub  
specie regalium eripere. Videtur is factum, per se quidem in-  
iustum, committere. Nonne vero causæ admodum iustaeadesse  
possunt, quibus factum Principis vel in totum, vel minime ex  
parte possit iustificari. Princeps enim fortasse pertinacia bra-  
xato-

(h) Limbachii processus informativus, a Dekhero informatus.  
C. IV.

xatorum, cerevisiae coquendae fragmenti mensuram legalem non addentium, nec ordinationibus braxatoriis desuper emanatis, morem gerentium, tandem eo perductus est, ut iis hocce ius prorsus adimeret. Quod si vero Principis regimen, de his rationibus, tanquam altioris indaginis exceptionibus, in litteris pro informatione tacuerit, certe iniustum esset, ad instantiam braxatorum statim decernere *Mandatum S. C.* quia *Camera Imp.*, quantum excusari possit Principis factum, scire nequit, sed eius loco, meo iudicio decernendum est *Mandatum C.C.* Si vero de illis certe quam maxime relevantibus exceptionibus et causis admodum legitimis, iam iam informata esset *Cameralis imperialis*, ne quidem *Mandatum C.C.*, sed vel *simplex Citatio*, vel *Ordinatio una cum decreto processuum denegatorio*, vel *simplex decretum processus denegatorum*, prout circumstantiae unum vel alterum requirunt, mea mente est decernendum.

### §. XV.

*Quid si Subditorum ius dubium sit, decerni possit disquiritur.*

Quod si vero dubium sit, an Princeps plus iuris habeat in re sibi vindicanda, an vero subditi, loco petiti *Mandati S. C.* mea mente, ob rationem sequentem, decernenda est *simplex Citatio*. In *casu* enim *dubio* semper facienda est *prae sumptio* pro Magistratu (i). Cum vero *prae sumptionis* ea sit vis, ut onus probandi in adversarium transferat, sequitur neque *Mandatum C.* neque *S. C.* a *Camera imperiali* ad instantiam Subditorum posse decerni. In *Processu* enim *Mandati*, tam *C.* quam *S. C.*, reo incumbit probatio, quod in *Processu Citationis* secus, vbi actoris est plenissime probare (k). Dubia vero ad minimum semper est res, si lis intercedit de iuribus, quae vel ex ipsis principiis iuris publici germanici, vel ex ipsa illius territorii constitutione speciali, ad regalia referuntur. Sic v. c. *Communitas loci cuiusdam*, cui Princeps ius venandi

ad-

(i) Blum l. c. no. 77.

(k) Tafinger l. c. §. 934.

## XXIV

admetit, desuper actionem eorum Camera imperiali instituens, et in immemoriali huius iuris possessione fere fundans; praescriptionem illam *immemorialem*, vel alium iuris sui titulum edere ac probare debet; nuda enim possessio regalium Subditos aduersus Principem nil operatur (1), ideoque non *Mandatum* sed *simplex Citatio* est decernenda,

## §. XVI.

Quaeritur an non utroque casu, loco Mandati vel Citationis et aliud quidpiam a Camera imperiali decerni possit.

Dixi ergo quid ex regulis iurisprudentiae Cameralis in uno vel altero casu, a *Camera imperiali*, contra *Dominum territorii* ad instantiam Subditorum, decernendum esse putavi. Cum tamen tam *Processus simplicis quaerelae* quam *Mandati* multum incommodi prae se ferat; prior enim omnino est admodum tardus et latus ius suum in iudicio prosequendi modus; alter vero, cum Domino territoriali verbis praceptivis aliquid facere vel omittere iubet, semper quodammodo Principem offendit, iam mihi perscrutandum erit, an non alio coequi faciliori modo, quo simul prospici potest, ne Principis dignitas populo contemtu pateat, parti imperanti succurri possit. Optimum hunc modum nostro casu, omnino mihi suggerunt sic dictae *Ordinationes camerales*, quae sunt *praescripta*(m), seu *commendationes* quibus *Camera imperialis*, fundata ipsius iurisdictione, vel statim in limite decretorum processuum, vel pendente lite, ob novas circumstantias forte supervenientes, vel etiam cum ipso decreto processuum denerativo, aliquid fieri, vel *omitti praecepit*, monet. Cum enim

(1) L. B. de *Lkstadt* de possessione regalium subditum aduersus principem nil relevante.

(m) *Praescripta* non *praecepta* vti *Ordinationes* a quā pluri mis iuris Cameralis Doctoribus definitur. Si enim verbis obliquis aliquem admoneo, vel quidquam commodo, vti fit in *Ordinationibus*, hoc omnino *praeceptum*, quod nempe verba *praeponit* directa et *praeceptiva*, vocare nequeo.

enim per eiusmodi *Ordinationem* gravamen quasi brevi manu tolli, litiumque ambages ex decretis processibus oriturae evitari possunt, illas facius loco eius quod petitum est, potissimum vero eo casu, si propositum in imploratione gravamen evidens quidem est, sed facile tolli posse videtur, sequenti modo decernendas esse puto: *N. Z. Z. abgeschlagen, sondern verbot mann sich zu dem Herrn N. N., daß er das angebliche Gravamen, bewandten Umständen nach, von selbst zu heben geneigt seyn werde; niedrigerfalls bleibt Supplicantens Principal den Recurs an dieses Kaiserl. C. G. zu nehmen unbenommen, sondern vorbehalten.*

### §. XVII.

*Quid denique, si nullum sit ius Subditorum, discernendum sit, demonstratur.*

*Tertius denique et ultimus casus* est, si vel iam ex ipsa Subditorum supplica, vel ad minimum ex litteris informatoriis Domini territorialis, vel iam aliunde constat, ius Subditorum praetensum esse nullum, ideoque causam ipsam ad *Camerani imperiale* non esse devolubilem, et hoc casu, ad instantiam Subditorum, simplex decernendum est *decreatum processus deneriorum*. Sic v. c. dari deberet decretum de quo loquor, si lis intercederet de iure, quod ex ipsis iuris publici et constitutionis Imperii, vel territorii specialis principiis, ad iura maiestatica, seu regalia essentialia indubie pertineret, nec Subditi alium iuris sui titulum, quam possessionem praesentaneam, protuendis iuribus suis allegare possent (n), vel si Princeps iam super constitutione novi cuiusdam regalis, *Statuum provincialium* populum repraesentantium consensum impetrasset, vel si res causam mere politicam concerneret, vel denique, si Subditi ius suum fundarent in consuetudine irrationali, ut hoc re vera est, in exemplo de venditione aquarum Spadenium supra allegato. Quod si enim iam iniquum est, si Princeps aquas salutares

D

tares

(n) A. G. Petermann de valore Possessorii summarissimi contra Principem S. R. G. I. regalia vindicantem a subdito instituti,

XXVI

tares in loco ipso vendere vellet, ut hoc b. de LVDOLF,  
STRYKIVS et alii II. cc. contendunt, et hanc ob rationem,  
vbique locorum, quo aquae salutares fontes sunt, cuicunque ad  
fontem proficiunt, aqua gratis porrigitur, multo magis cer-  
te iniquum esset, si Suditi fese inquo hoc modo ditescere  
vellet.

\* \* \*

Sufficient. Quae ad Vos potissimum scripsi, *Commilitones*  
*fusissimi*, cum a SERENISSIMO CAROLO nostro, BRVNS-  
VICENSIVM ET LVNEBURGENSIVM DVCE, NVRITRO-  
RE almae nostrae Iuliae Carolinae MVNIFICENTISSIMO, DO-  
MINO meo longe CLEMENTISSIMO, mihi iam dudum *gra-*  
*tiosissime* demandatae *Professionis iuridicarum extraordinariae*  
*caula*, *Lectiones* per instans semestre hybernum habendae, a  
me essent indicandae, quo haberetis pignus meae erga Vos  
voluntatis. Si me tam felicem esse contigerit, vt vni alterique  
*Vestrum* lectionibus meis, in nupero Praelectionum Catalogo  
indicatis et propediem in tabula Academiae publica repetendis,  
possim inservire, omnem certe operam in eo collocabo, vt  
non inutiles ex mea institutione fructus percipiatis. Valete,  
meque in posterum amore *Vestro* amplecti non digneinini.

Scribebam in Academia Iulia Carolina. mens. Sept.

MDCCCLXXIX.



Helmstedt, Diss., 1778-85







# DE MANDATO S. C.

CONTRA

## STATVM IMPERII

SUEDITIS IVRA PRISTINAE LIBERTATIS

SVB SPECIE REGALIVM

DETRAHENTEM

## A CAMERA IMPERIALI

H A V D · D E C E R N E N D O

---

SVB INITIVM LECTIVM HYBERNARVM

A. N. M D C C L X X I X

COMMENTATVR

IOANNES FRIDERICVS HAEBERLIN

I V R . D . E T P . P . E .

---

HELMSTADII

LITERIS VIDVÆ B. F. D. SCHNORRII ACAD. TYPOGR.